

Universitätsbibliothek Wuppertal

C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

De situ, moribus et populis Germaniæ

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1742](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1742)

C. CORNELII TACITI
DE SITV, MORIBVS
ET POPVLIS
GERMANIÆ
LIBELLVS.

Cap.1.
Fines Ger-
mania.



GERMANIA omnis à Gallis Rhætiisque & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus; à Sarmatis Dacisque, 2 mutuo metu aut montibus separatur. Cetera Oceanus ambit, latos sinus & insularum immensa spatia complectens, 3 nuper cognitis quibusdam gentibus, ac regibus, quos bellum aperuit. Rhenus Rhæticarum alpium inaccessio ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur. Danubius molli & clementer edito 4 montis Abnobæ iugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat. septi-

Cap.2.
Populi, qui?

imum enim os paludibus hauritur. Ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduentibus & hospitibus mixtos: quia nec terrâ olim, sed classibus aduehebantur qui mutare sedes quærebant: & immensus ultra, 5 utque sic dixerim, aduersus Oceanus raris ab orbe nostro nauibus aditur. Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris, Asiâ, aut Africâ, aut Italiâ relictâ, Germaniam peteret? infor- mem terris, asperam cælo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. Celebrant carminibus antiquis (6 quod vnum apud illos memoriae & annalium genus est) Tuistonem deum terrâ editum & filium Mannum, originem gentis conditoresque. Manno tris filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingæuones, medij Herminones, ceteri Istæuones vocentur. Quidam autem licentiâ vetustatis plureis deo ortos, pluresque

Tuisto
Deus.

NOTÆ.

1. ORDINEM *scriptiois, si sequimur, ante Historias & Annales sibi locum vindicet hic libellus. Scriptus enim est Traiano secundum consule, id est Neruâ adhuc viuo. Ipse ostendit infra: Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum Traiani consulatum computemus, ducenti ferè & decem anni colliguntur. At Historia cæpta Neruâ iam mortuo, & inter diuos. ut docui.*

2. MUTVO METV AVT MONTIBVS.] *Vitiat acutam sententiam Bambergense exemplar, mutuo victu. Imò verò metu: qui inter aquè potentes, pro termino ac repagulo. Thucydides bene & appositè: Τὸ δὲ ἀντίπαλον δῆος, μόνον πῖτον ἐς ἔυμμεχίαν.*

3. NUPER COGNITIS.] *Domitiani imperio, opinor. cui bella cum Cattis, Sueuis, Sarmatis, & eâ occasione, illustrata magis vicina gentes.*

4. MONTIS ABNOBÆ.] *Plinius nominat libro IV. cap. XII. sed ibi quoque infida scriptura. Alij enim libri, Arnobæ. Bambergensis hîc, Anribæ. Roman. Arbonæ. Ptolemæo sunt Ἀυροβοὶ montes.*

5. VTQVE SIC DIXERIM, ADVERSVS.] *Haud satis capio. An aduersum dicit, oppositum & contrarium? An obuersus verius sit legi, idq. ex situ ipso? An vox aliqua durior aut remotior fuit, præsertim quam præfatione eâ leniit? Tamen haud malè aduersum ceperis, quasi mari Italico & Tyrreno oppositum: eodemq. sensu etiam, Diuersus. Sic in Agricola scripsit: Glota & Bodotria diuersi maris æstu in immensum reuecti, angusto terrarum spatio dirimuntur.*

6. QVOD VNVM APVD ILLOS.] *Vti apud Barbaros ferè omnes, & rudes litterarum. Nec Hispani aliter comperere, apud novos Indos. Eginhartus in Vita Caroli Magni: Barbara & antiquissima carmina, quibus veterum regum actus & bella*

A que g
vera &
quoni
mani
mū
Fuit
Ita i
ditum
terren
concer
os scu
quid u
mania
3 confi
canebar
mandes
ne hilt
manis,
que adli
is Antio
rūsa
agrestia
re clama
7. R
ditum m
nuper,
Iulij Cæ
piff.
8. N
mplecto
na repper
Tungri,
obscu
& bello
(quidqu
tus Rhen
Tungri a
vniu na
ad omnes
9. A
dem Bam
repretari
est non p
et omnes
frice nat
Gallorum
Transrhe
nent ar
nomen
causa, &
& explic
10.
MAHI
invento
sum. Ge
re, quia
& seipfis
grîs? Sa
eternum.
11. V

A que gentis appellationes, Marfos, Gambriuios, Sueuos, Vandalios affirmant: eaque vera & antiqua nomina. Ceterum Germaniæ vocabulum ⁷ recens, & nuper additum: quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ⁸ nunc Tungri, nunc Germani vocati sint. ita nationis nomen, non gentis eualuiffe paullatim, vt omnes primum ⁹ à victore ob metum, mox ¹⁰ à seipsis inuento nomine Germani vocarentur. Fuisse apud eos & Herculem memorant, primumque omnium ¹¹ virorum fortium. Ituri in prelia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu quem ¹² Barditum vocant, accendunt animos, futuræque pugnae fortunam ipso cantu augurantur. terrent enim, trepidantve, prout sonuit acies. Nec tam vocis ille, ¹³ quam virtutis concentus videtur. affectatur præcipuè asperitas soni, & fractum murmur obiectis ad os scutis, quo plenior & grauior vox repercussu intumescat. Ceterum & ¹⁴ Vlixem quidam opiuntur longo illo & fabuloso errore in hunc Oceanum delatum, adisse Germaniæ terras, Asciburgiumque, quod in ripâ Rheni situm hodieque incolitur, ab illo B constitutum, ¹⁵ nominatumque ἀσκιπύργιον, Aram quinetiam Vlixii consecratam, adiecto

Germania
vox, vnde.

Hercules
Germanicus
Cap. 3.
Barditus.

Vlysses in
Germaniâ.

canebantur, scripsit memoriæque mandauit. *Iordanes de Gothis*: In priscis eorum carminibus pæne historico ritu recolitur, &c. *At propriè de Germaniis, noster lib. II. Annal. de Arminio*: Caniturque adhuc Barbaras apud gentes. *Iulianus egregiè in Antiochico*: qui hæc, ἀγρία μέλη vocat, ἀγαπλήσια ταῖς κλάγλαις τῶν τετραχύ βοώντων ὀρνίθων: agrestia carmina, similia clangoribus auium asperè clamantium.

7. RECENS, ET NUPER ADDITVM.] Nos auditum maluimus legi, quam additum: Quod ait, nuper, non hercules ita nuper: quippe cum ab euo Iulij Caesaris, quo constat Germanos Galliam irrupisse.

C 8. NVNC TUNGRI, NVNC GERMANI.] Valde amplector Bambergensem scripturam, quam & Pichena reperit in veteri editione Bononiensi: ac nunc Tungri, tunc Germani. atque ita euoluam me ex obscurâ origine nominis, quod hodieq; hæret in pace & bello optimâ gente. Sententiam enim hanc reor (quidquid disertum aliis) eos qui transgressi primitus Rhenum sint, esse eum ipsum populum qui nunc Tungri appellantur, at tunc Germani. quod tamen vnius nationis peculiare nomen, paulatim transfusum ad omnes.

9. A VICTORE OB METVM.] Vox Germani, eadem Bamberg. rectè abest. Ista ipsa enim nouiter interpretari posse videor, & præter mentem omnium, etsi non præter verum. Censeo eum hoc dicere: Factum vt omnes qui Rhenum accolerent, nomen ab istâ victrice natione inuenirent, ob metum scilicet recentem Gallorum: qui quoties de transgressu vel aduentu Transrhenanæ nationis audirent, aiebant trepidi aduentare Germanos. at isti propriè Germani, nouum nomen inuenirent à se ipsis, discriminandi nimirum causâ, & dicerent se Tungros. Possim vulgatam tueri & explicare. sed cur nuger? hæc mera veritas.

D 10. A SEIPSIS INVENTO NOMINE GERMANI.] Si mordicus hanc retines; legam, à reipsâ inuento. Germani enim etymo prisco, bellaces viri sunt. Gerra bellum. inuenere ergo id nomen, ab ipsâ re, quia tales. Vulgatam quomodo expedies? aut qui à seipsis nomen hoc inuenere, quod antea in Tungris? Sanè interpretes hîc fluctuant, & fluctuabunt aternum.

11. VIRORVM FORTIYM. ITURI.] Rectè dis-

tinxi. Non enim ea mens, quod Herculem canant: sed quod alacres & cum cantu incipiant pugnare. Tacitus lib. II. Histor. Temerè subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci, & more patrio nudis corporibus. Lib. IV. Vt virorum cantu, fæminarum vlulatu sonuit acies. Noto autem etiam Hispanos preliis præcinuisse, ex Silio:

— ritu iam moris Iberi

Carmina pulsata fundentem barbara cetrâ. *Diodorus Siculus, de Lusitanis*: Εἰν τοῖς πολεμοῖς ποδὲς ῥυθμὸν ἐμβαίνεισι, καὶ παλαιὰς ἀδῶσιν ὄταν ὄπωσι τοῖς ἀντιπαραγούροις: In bellis ad numerum incedunt; & carmina canunt cum aggrediuntur hostem. *Simile in Thracibus alijsq; Barbaris fuisse, notauit ad IV. Annal.*

12. BARDITVM VOCANT.] Ita Farnes. & scio Bardos Gallos dictos cantores, sine poetas. Placet tamen nunc magis, Baritum: quæ mera vox nostras, quibus Beren aut Baeren, clamare, vocem tollere. Errabit enim qui ab elephantis barritu deducet, Germanis tunc ignoti. Althamerus, Baritum vellet, Germanico item verbo. Quidquid de nomine sit; Ammianus hunc describit, clamorem fuisse maximum, qui ipso feruore certaminum exoriens identidem, paullatimque adolescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.

13. QVAM VIRTVTIS CONCENTVS VIDETVR.] Bambergensis, quam mentis concentus. quod haud præferam vulgatæ.

14. VLIKEM QVIDAM.] Interq; eos Strabo, magni & directi iudicij scriptor, lib. III. qui adfirmatè tradit Vlyssæam Lusitaniæ (Vlyssiponem aliter dicimus) Homerici Vlyssis monumentum esse. Sed & in Britanniam eum venisse, ex arâ Græcis litteris inscriptâ collegit Solinus cap. XXV. itemq; Mela. Cui miræ & blandienti opinioni si indulgemus: quidni Vlyssinga nostra in Zelandiâ, ab eodem sit? quidni Circæa à Circe? Sed vani & lasciu, vereor, lusus isti ingeniorum sunt: quibus tamen hodie non nemo se ostentat & superbit. Io. Brodeus hæc de Vlyssis errore in Miscellaneis scitè coarguit: Brodeus, vir sine adolescens potius, acris ingenij, probi iudicij, lectionis diffuse, quem non magis in ore fama esse miror, imò indignor.

15. NOMINATVMQVE ἀσκιπύργιον.] Vel, ut Rhenanus, ἀστυπύργιον. etsi abesse vox ea potest,

Indigena
Germani.

Cap. 4.

* Redundat.

Hominum
habitus.

Cap. 5.

Terra habi-
tus.

iecto Laërtæ patris nomine, eodem loco, olim repositam: monumentaque, & tumulos A quosdam ¹⁶ Græcis litteris inscriptos in confinio Germaniæ Rhætiæque adhuc exstare. quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat, vel addat fidem. Ipse eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis [* aliis] aliarum nationum connubiis infectos, ¹⁷ propriam & sinceram & tantum sui similem gentem exstitisse arbitrantur. Vnde habitus quoque corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces & cærulei oculi, ¹⁸ rutilæ comæ, ¹⁹ magna corpora, & tantum ad impetum valida. laboris atque operum non eadem patientia: minimeque sitim æstumque tolerare, frigora atque inediã cælo solove assueuerunt. Terra ²⁰ & si aliquanto specie differt, in vniuersum tamen aut siluis horrida, aut paludibus fœda: humidior quàm Gallias; ²¹ ventosior quàm Noricum ac Pannoniam aspicit: fatis ferax, frugiferarum arborum impatiens; pecorum fœcunda,

rest, incolumi sensu. Præcessit enim. At libri quidam magis hic diuersi, qui ἀνεπίσημον referunt. ex quo placet quibusdam ἀνεπίσημον, à Nerito, ut volunt, Ithacæ monte. locus quidem hic ipse, quem indicari putamus, cliuosus est, haud procul Veteribus vicus, Aschelburg nunc dictus.

16. GRÆCIS LITTERIS.] Litteris fortasse, vix credo linguâ. Quid autem mirum de illis, cum etiam Heluetij & Galli litteraturâ Græcâ vsi sint, Romanis characteribus iuxta cum imperio ignotis?

17. PROPRIAM ET SINCERAM.] Bamberg. perpetuam & sinceram.

18. RUTILÆ COMÆ.] Sine flaua, & colore auri. Ideò Auricomis Bataui, Silio:

At puer auricomus iam formidate Batauo:
Vandali χρυσοειδεις, Procopio dicti. Rufum Seneca dixit III. De irâ: Non est Æthiopsis inter suos insignitus color, nec rufus crinis & coactus in nodum apud Germanos. Et Martialis, Ruffum eâ mente Batauum:

Sum figuli lufus ruffi persona Bataui.
Græci plerumque ξανθὸν verterunt: etsi Galenus Commentario ad Polybium De victu, velit Germanos magis propriè χρυσοειδεις dici, quàm ξανθους. Calpurnius Flaccus Declamat. II. de hoc Germanorum connato habitu: Miramur hanc legem esse naturæ, ut in subolem transeant formæ, quas quasi descriptas species custodiunt? Sua cuique genti etiam facies manet. Rutili sunt Germaniæ vultus, & flaua proceritas Hispaniæ. non eodem omnes colore tinguntur. Diuersa sunt mortalium genera, nemo tamen est suo generi dissimilis. Quem obiter emendo: & flaua proceritas. (apage enim hoc de Hispanis.) Hispani an non eodem omnes colore tinguntur? Nec à naturâ solùm rutilus hic crinis, etiam ab arte. Lauabant enim crebrò, & medicamento rutilabant. Ammianus: Videbat (Germanos) lauantes alios, quosdam comas rutilantes ex more. Medicamentum, sapo. Martialis:

* Vide Diod.
Sicul. lib. v.

Cautica Theutonicos accendit spuma capillos.

Plinius: Prodest & sapo. Galliarum hoc inuentum rutilandis capillis, ex seuo & cinere. Ita Caligula procerissimum quemque è Gallis ad Germanicum triumphum legit: coëgitque rutilare & submittere comam: ut Germani scilicet Germani viderentur. Suetonius narrat cap. XLVII. Herodianus item de Antonino Germanos emulante: Κόμης τε

τῆ κεφαλῆ ἐπετίθετο ξανθὰς, καὶ εἰς κορὴν Γερμανῶν ἐσημειώσας. id est: Comas etiam flauas capiti circumposuit, & ad tonsuram Germanicam factas. Causam huic coloris studio adsignat Clemens (libro III. Pedagog. cap. III.) terrorem. Τὸν ἐξανθὸν, inquit, οἱ Κελτοὶ καὶ οἱ Σκύθαι κομῶσιν, ἀλλ' ἢ κομῶν. ἔχει τὴ φοβερὸν, τὸ εὐτελεχὸν τὸ βαρβάρου, καὶ τὸ ξανθὸν ἂν τὸ πολεμὸν ἀπειλεῖ, συγχεῖ, π χροῦμα τὸ αἴματι. Romana etiam matrona veteres amare hunc colorem, & summâ diligentia capillos cinere rutilabant, ait Valerius lib. II. cap. I. Postiores magis auidè, quæ capillitium ipsum emebant à Germanis, & pro comis suis supponebant. Ouidius ad puellam:

Iam tibi captiuos mittet Germania crines,
Culta triumphatæ munere gentis eris.
Quamquam Seruium notare video in IV. Virgilij, C matronis nigram comam, meretricibus flauam probatam fuisse. Quò videatur Satyricus respexisse de Messillinâ matronam sedulo dissimulante:

Et nigrum flauo crinem abscondente galero.
De hac ipsâ re doctissimus Tertullianus, libello de Cultu: Video quasdam & capillum croco vertere. pudet eas etiam nationis suæ, quòd non Germanæ aut Gallæ procreatæ sint: ita patriam capillo transferunt. Malè ac pessimè sibi auspiciantur, flammeo capite. Nam quòd mali auspicij ait flammeum caput: intellegit omen ad flammam æternas.

19. MAGNA CORPORA, ET TANTVM.] Mutilus, me iudice, Bambergensis, qui spretâ priori voce scribit: corpora tantum impetu valida. Nam proceritas etiam inter Germanorum proprias notas.

20. ET SI ALIQUANTO SPECIE DIFFERT.] Nescio quid idem liber sibi velit, etsi aliquando specie aret. An, variet?

21. VENTOSIOR QVA NORICVM.] Vix fides. Loca cerè quæ humida & ad mare, magis obnoxia ventis, quàm sicca & mediterranea. quòd utique verissimum experimur in omni Germaniæ isto tractu, qui ad Septemtrionem. Sed nec vcnorum propriè hic res est: de humore agitur, aut siccitate. Anne verticosior, ausim legere? id est magis alta & montana? Mela quidem ita disparat, in hac ipsâ terrâ describendâ: Terra multis impedita fluminibus, multis montibus aspera, & magnâ ex parte siluis aut lapidibus inuia. An frustra angimur? & ventosam accipi, pro sicca atque aëreâ, simplicius & verius sit?

A sed ²² plerumque improcera. ne armentis quidem suis honor, aut gloria frontis. numero gaudent. eaque solæ & gratissimæ opes sunt. Argentum & aurum propitij an irati dij negauerint, dubito. Nec tamen affirmauerim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere. quis enim scrutatus est? possessione & vsu haut perinde afficiuntur. Est videre apud illos argentea vala, legatis & principibus eorum muneri data, non in aliâ vtilitate, quàm quæ humo finguntur: quamquam proximi ob vsum commerciorum aurum & argentum in pretio habent, formalque quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt, atque eligunt: interiores simplicius & antiquius permutatione mercium vtuntur. Pecuniam probant veterem & diu notam, ²³ Serratos, Bigatosque. Argentum quoque magis quàm aurum sequuntur, nullâ affectione animi, sed quia numerus argenteorum faciliori vsui est promiscua ac vilia mercantibus. Ne ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. ²⁴ Rari gladiis, aut ²⁵ maioribus lanceis vtuntur. ²⁶ hastas, vel ipsorum vocabulo frameas gerunt, angusto & breui ferro, sed ita acri & ad vsum **B** habili, vt eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent. & equos quidem scuto frameaque contentus est. pedites & missilia spargunt, pluraque singuli, atque in immensum vibrant, nudi aut sagulo leues. nulla cultus iactatio: scuta tantùm lectissimis coloribus distinguunt. paucis loricæ: vix vni alterive cassis, aut galea. Equi non formâ, non velocitate conspicui. sed nec variare gyros in morem nostrum docentur. In rectum aut vno flexu dextros agunt, ita confuncto orbe, vt nemo posterior sit. In vniuersum æstimanti, plus penes peditem roboris: eoque mixti præliantur, aptâ & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuuentute dilectos ante aciem locant. Definitur & numerus: centeni ex singulis pagis sunt: idque ipsum inter suos vocantur. & quod primò numerus fuit, iam nomen & honor est. Acies per cuneos

Metalla, an sint?

Pecunia varia.

Cap. 6. Item ferrum, & tela. Framea.

Scuta.

Equites.

Mixti pedites.

C 22. PLERVMQVE IMPROGERA.] *Malo, pleraque. De ipsâ autem, ita hodie contra est, vt armenta nostra Batavia aut Frisia, palmam poscere audeant contra omnia Europa.*

23. SERRATOS, BIGATOSQVE.] *Diu hos Serratos nummos quaro, homo aliâs non appetens valdè nummum. Nam vulgò leuiter defunguntur. & Serrati, inquit, nummi quibus serra forma impressa siue incusa, vt Bigati quibus Bigarum. & de his quidem clarum est. oculi me docent cottidie. at de Serratis, quis obsecro in tantâ istâ copiâ nummorum veterum vnum aliquem protulit aut proferet cum serrâ? Non vidi, non legi. Fuluius sanè Vrsinus, in gente Manliâ nummum representat, cuius in posticâ parte caput vrbis, & inscriptum ROMA. SER. quod ipse interpretatur Serratum. sed quo argumento? Mille nummi cum illo capite, in quibus nihil tale. & potius id referendum ad Serrani cognomen, quod ex aliâ gente herere huic potuit per adoptionem. An lectio sollicitanda in Tacito? an serratos, aut ratitos, aut Seruianos legendum? De prioribus quid fuerint, clarum: Seruianos autem interpreter veteres regios, quos in pretio fuisse notat Suetonius Augusto. Seruius certè primus regum, as signauit. Adde quòd in codice Bambergensi, Seruatos. An seruamus lectionem, & capimus Serratos eos, quorum ambitus dentatus atque asper sit in modum serra? quæ proba nota, & nihil periisse longo vsu aut refectione. Nummos ego quosdam argenteos ita formatos v'surpassè his oculis sum certus. Spectasse autem id eos in nummis vulgò, ratio & Tertullianus addocent: Qui venditant, prius nummum quo paciscantur examinant, ne scalptus, nève rasus, ne adulter sit. Sed tu erudite lector cogita. nam de me Tullianum illud habe, Cedo, cia manum tollo.*

24. RARI GLADIIS VTUNTVR.] *Iisq; grandibus & oblongis. Plutarchus de Cimbris: Μεγάλας ἐχέοντο καὶ βαρύνουσας μάχαιρας. Caesar item, Linius, & Historici passim. Illud dignum notâ è VVindichindo: Erat illis diebus Saxonibus longorum cultellorum vsus, quibus vsque hodie Angli vtuntur morem gentis antiquæ sectantes. Cultelli autem nostrâ linguâ Saks dicuntur: ideoque aiunt quidam Saxonones nuncupatos. De veritate etymi nescio: illud scio, falces oblongas & grandes frumentarias eo nomine etiam hodie nobis dici.*

25. MAIORIBVS LANCEIS.] *Mirum, quòd hic rarum id telum facit: at in Annalibus vulgat. Vt libro 1. de Cheruscis: Hastæ ingentes, ad vulnera quamuis procul facienda. Et 11. vniuersè de Germanis: Immenfa Barbarorum scuta, enormes hastæ. Iterumq;: Artis locis prælongas hastas non protendere, non colligere. Nusquam de istis breuibus, quas Frameas vocat.*

26. HASTAS, VEL IPSORVM VOCABVLO FRAMEAS.] *Quod genus teli fuerit, quaro. Isidorus vult gladium fuisse. Framea, inquit, gladius ex vtraque parte acutus, quam vulgò Spathiam vocant. Ipsa est & Romphæa. Valdè à Tacito abit, qui clarè appellat Hastam: & addit, eodem telo cominus eminusq; pugnasse. Non ergo gladius. Numquid Romphæa? nam & hoc addidit. pariterq; Glosse veteres, Framea, ρομφαία. Ambigo, nec facile inducor credere, si * Valerij quidem descriptio hac proba:*

Æquaque, nec ferro breuior, nec romphia ligno. Facit enim genus teli, in quo hastile & mucro pari fuerint longitudinis modo. Tacitus autem aliud fuisse in suâ Frameâ docet, quam statuit breui & angusto ferro. Itaque magis est vt ad exemplum Hastæ siue Spießle nostræ fuerit, breuiore tamen ligno.

* Argonaut. lib. vi.

Pugnandi
ratio.

Ignominia
ignavis.

Cap. 7.
Reges, &
Duces.

Sacerdotum
potestas.

Cunei & fa-
milis.

Famina in
bellis.

Cap. 8.
Earum ani-
mositas.

Obsides
puella.
Vates fami-
na.

cuneos componitur. Cedere loco, dummodò rursus instes, consilij quàm fortitudinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubiis praeliis referunt. Scutum reliquisse præcipuum flagitium, nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas. multaque superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt. Reges ex nobilitate, duces ex virtute sumunt. Nec regibus infinita aut libera potestas; & duces exemplo potius quàm imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præfunt. Ceterum²⁷ neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem nisi sacerdotibus permissum: non quasi in pœnam, nec ducis iussu, sed velut deo imperante, quem adesse bellantibus credunt. effigiesque, & signa quædam detracta lucis in prælium ferunt. Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ & propinquitates. & in proximo pignora: unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium, hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad coniuges vulnera ferunt: ²⁸ nec illæ numerare, aut exfugere plagas pauent. Cibosque & hortamina pugnantibus gestant. Memoriae proditur, quasdam acies inclinatas iam & labantes à feminis restitutas, constantiâ precum & obiectu peccorum, & monstratâ cominus captiuitate. quam longè impatientius feminarum suarum nomine timent: adeò vt efficacius obligentur animi ciuitatum, quibus²⁹ inter obsides puellæ quoque nobiles imperantur. Inesse quinetiam sanctum aliquid, & prouidum putant: ³⁰ nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus sub diuo Vespasiano³¹ Velledam, diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed & olim³² Auriniam & complureis alias venerati sunt, non adulatione, nec tanquam face-

27. NEQUE ANIMADVERTERE.] *Repugnare* Caesar videtur lib. VI. Cum bellum ciuitas aut illatum defendit aut infert, magistratus qui ei bello præfunt, vt vitæ necisque habeant potestatem deliguntur. Sed Caesar de belli tempore tantum: noster in pace intellexit.

28. NEC ILLÆ NUMERARE, AUT EXFUGERE PLAGAS PAVENT.] Ita Rhenanus: spectatq; suctus ille ad medicinam. Homero etiam non ignotam: qui de Machaone Iliad. 8. vers. 218.

Αἰὲ ἐκμύχθασ, ἐπ' ἄρ' ἠπια φάρμακα εἰδὼς Πάσσι.

Farnes. tamen codex & Rom. exigere. quod robur femineum magis exprimere videtur, tanquam illæ non numerauerint solum plagas, sed exegerint; exostularintq; cum suis si illæsi redissent, tanquam ignaui & vitæ suæ parci.

29. INTER OBSIDES PVELLÆ QUOQUE.] Igitur ad Germanos referam, quod generatim à Suetonio scriptum, in Augusto cap. XXI. A quibusdam, nouum genus obsidum fæminas exigere tentauit, quod negligere marium pignora sciebat. Etsi cur id Tranquillo nouum? Romani ipsi virgines obsides Persenæ olim dederunt, interq; eas Clæliam. Athenæus id primum inuentum Cleonymo Spartano vult, parum verè, libro XIII. cap. XXVIII. Εἶ μοι γὰρ, inquit, καὶ φύσιν δοκεῖ πεποικίλην Κλεώνυμος ὁ Σπαρτιάτης, πρῶτος ἀνδρῶπων εἰς ὀμηρίαν λαβῶν ὧν Μεταποντίων γυναικῶν παρδένε τὰς ἐνδοξοτάτας καὶ καλλίστας διακοσίας. id est: Mihi iuxta naturam fecisse Cleonymus Spartanus videtur, qui primus mortalium (magis rectè, si primus Graecorum dixisset) obsides à Metapontinis fæminas virgines accepit nobilissimas & pulcherrimas ducentas. Vbi discis Metapontinos, imò credo ceteros Italiæ populos, habuisse antiquitus hunc morem.

30. NEC CONSILIA EARVM.] *Hocne supererat? heu ipsos parum firmâ mente, qui eam quasiuere apud amentem sexum! Et tamen adeò vera Taciti adfirmatio, vt Plutarchus narret, consultationibus omnibus apud Celtas (ita Germanos Graeci vocant) de pace deq; bello, feminas adhiberi, & lites cum federatis aut sociis populis exortas earum interuentu decidi. Verba ipsa in re parum credibili dabo. In libello De Virtutibus mulierum: Εἰ τὰς διετέλων, inquit, πρὸς τὴν πόλεμον καὶ εἰρήνης βελούχοι μετὰ τῶν γυναικῶν, καὶ τὰ πρὸς τὰς συμάχους ἀμφιβολὰ δὲ ἐπεινῶν βελούοντες.*

31. VELLE DAM.] De quâ multa noster lib. IV. Histor. quam captiuam & in triumpho posticâ ductam colligas ex Statio:

Non vacat Arctoas acies Rhenumq; rebellem Captiuæque preces Velledæ.

qui nomen tamen id corripit: cuius germanam scripturam fuisse censeo Velledam. Huic successit in dignatione & diuinatione Gauna, sub Domitiano celebris. Dio in Frag. XLIX. Καὶ Γαῦνα παρδένος μετὰ τῆς Βελούδης ἐν τῇ Κελτικῇ θειάτῳ: Gauna virgo, post Velledam, in Germaniâ, diuina & vates. Adit, ad Domitianum venisse, & præmiis ab eo affectam. Quæ ipsa ex Dione Suidas (tacito nomine, vt solet) in voce θειάτῳ.

32. AVRINIAM.] Farnes. liber, Fluriniam. Putem fuisse, Aluriniam. Quod Iornandes mihi auctor in rebus Gothicis, non proprium nomen, sed commune omnium Sagarum fuisse. Repperit, inquit, in populo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Aliorunas ipse cognominat. De fatidicis autem fæminis Germanorum, præter Casarem libro I. Plutarchum in Mario & Casare, Strabonem libro VII. vide etiam Clementem Stromate I.

Arent deas. Deorum maximè ³³ Mercurium colunt, cui certis diebus, ³⁴ humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem ac ³⁵ Martem concessis animalibus placant: pars Sueuorum & Isidi sacrificat. Vnde causa & origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quòd signum ipsum in modum liburnæ figuratum, docet aduectam religionem. Ceterùm nec cohibere patetibus deos, neque in vllam humanioris speciem assimilare, ex magnitudine cælestium arbitrantur: ³⁶ lucos ac nemora consecrant, deorumque nominibus appellant secretum illud, quod solâ reuerentiâ vident. Auspicia, sortesque vt qui maximè obseruant. Sortium consuetudo simplex. virgam frugiferæ arbori decissam, in furculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temerè ac fortuitò spargunt. mox si publicè consulatur, sacerdos ciuitatis; sin priuatim, ipse paterfamilix precatus deos, cælumque suspiciens, ter singulos tollit, sublato secundum impressam antè notam interpretatur. Si prohibuerunt; nulla de eadem re in eundem diem consultatio. Sin permissum; auspiciorum adhuc fides exigitur. & illud quidem etiam hîc notum, auium voces, volatusque interrogare. Proprium gentis, ³⁷ eorum quoque præfagia ac monitus experiri. publicè aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps ciuitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus obseruant. Nec vlli auspicio maior fides, non solùm apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros deorum, illos conscios putant. Est & alia obseruatio auspiciorum, quâ grauium bellorum euentus explorant. Eius gentis, cum quâ bellum est, captiuum quoquo modo interceptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committunt. victoria huius vel illius, pro præiudicio accipitur. De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes. ita tamen, vt ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum & subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur. nam agendis rebus hoc auspiciissimum

Cap. 9.
Mercurius
Deus.
Hercules,
& Mars.

Luci pro
temolis.
Cap. 10.
Sortes eo-
rum.

Ex equis
præfagia.

Item de ca-
ptiuis.

Cap. 11.
Ratio con-
sultandi.

C 33. MERCVRIVM COLVNT.] *Plura igitur ac certiora de religione Germanorum Tacito nota, quam Cesari, qui contra scribit lib. vi. Deorum numero eos solos ducunt quos vident, Solem, Vulcanum, & Lunam. reliquos ne famâ quidem acceperunt. Falso. Nam noster etiam in Annali XIII. scriptum reliquit: ab Hermunduris diuersam aciem Marti ac Mercurio sacratam. Paulus Diaconus * notat Longobardis (j autem Germani) Wodam Mercurium appellari. ego legerim Wondam, vel Wostam: à lucro scilicet, cui præst. Maioribus quidem nostris ita dictum, claret vel ex Mercurij die, qui veteri & gentili appellatione nobis Wostdach.*

34. HUMANIS QVOQVE HOSTIIS.] *Quod Gallis Germanisque commune: & priscis testatum crebro. Illud noto, mansisse eam diritatem etiam inferiori ævo. Procopius lib. II. De Bello Goth. ait Francos etsi Christum iam colerent, humanis tamen ad suum eum hostiis vsos. Ditmarus lib. I. Nortmannos & Danos quotannis mense Ianuario diis suis immolasse XCIX. homines, totidem equos cum canibus & gallis: ab eaq; barbarie Henricum Aucupem primum eos abduxisse.*

35. MARTEM CONCESSIS ANIMALIBVS.] *Non cerè Gothi. de quibus Iornandes: Martem semper asperrimâ placauere culturâ; nam victimæ eius mortes fuere captorum.*

36. LVCOS AC NEMORA CONSECRANT.] *Fatuam religionem. quam Claudianus item iis opprobrat. de laudib. Stil. lib. I.*

Vt procul Hercyniæ per vasta silentia siluæ Venari tutò liceat, lucosque vetustâ

Relligione truces, & robora numinis instar Barbarici, nostræ feriant impunè secures.

Sed & Lucanus appositè, in obsidione Massiliæ:

Lucus erat, longo numquam violatus ab æuo.

— hîc barbarâ ritu

Sacra deum, structæ diris altaribus aræ,

Omnisque humanis lultrata cruoribus arbor.

Bene ergo & meritò Religione truces eos fecit Claudianus: quoniam victimæ, imò & homines, ad arbores has (è Lucano hauries) immolatæ. Ait etiam, robora numinis instar. Illustrabit Tyrius Maximus, qui Celtas excelsam quercum coluisse ait, & Iouis nomine sollenniter appellasse. Atque adeo posteriori etiam ævo mansit hic cultus. Luitprandi regis Longobardorum lex est: Qui ad arborem, quam rustici Sanctiuum vocant, adorauerit, vel incantationes fecerit, componat medietatem pretij sui in sacro palatio. Tacitus hunc ipsum ritum saltem indicatum lib. IV. Histor. voluit, cum scripsit Ciuillem Batauos specie epularum sacrum in nemus vocasse: nec putauerim sanè sacri vocem illic peculiare aut proprium siluæ nomen. Hæc in Germanis merito nos ridemus. sed cur Romani? illi in eadem nau. Plinius de arboribus: Hæc fuere numinum templa, priscoque ritu etiam nunc simplicia rura deo præcellentem arborem dicant. Seneca epistolâ XLI. Si tibi occurrit vetustis arboribus & solitam altitudinem egressis frequens lucus, illa proceritas siluæ, & secretum loci, & admiratio vmbra, fidem numinis facit.

37. EQVORVM QVOQVE PRÆSAGIA.] *Ditmarus Luizicis (qui veterem superstitionem adhuc retine-*

Mos assen-
tiendi, vel
contra.

Cap. 12.
Pœnarum
vario.

Principes, si-
ue Iuridici.
Cap. 13.
Arma tra-
dendi mos.

Comites
Principum.

simum initium credunt. Nec dierum numerum ut nos, sed noctium computant. Sic A constituunt, sic condicunt. nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod 38 non simul, nec iussi conueniunt, sed & alter, & tertius dies contatione coeuntium absumitur. Ut turbæ placuit, confidunt armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum & coercendi ius est, imperatur. Mox rex vel princeps, 39 prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur, auctoritate suadendi magis quàm iubendi potestate. Si displicuit sententia, fremitu aspernantur: sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimum assensus genus est, armis laudare. Licet apud concilium accusare quoque, & discrimen capitis intendere. Distinctio pœnarum ex delicto. proditores & transfugas arboribus suspendunt. ignavos, & 40 imbelles & corpore infames, cœno ac palude, iniectâ insuper crate, mergunt. Diuersitas supplicij illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed & leuioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero conuicti multantur. pars multæ regi vel ciuitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquis eius exsoluitur. Eliguntur in iisdem conciliis & principes, 41 qui iura per pagos vicisque reddunt. B 42 Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul & auctoritas, adsunt. Nihil autem neque publicæ neque priuatæ rei, 43 nisi armati agunt. Sed arma sumere non antè cuiquam moris, quàm ciuitas sussepturum probauerit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus 44 scuto frameaque iuuenem ornant. hæc apud illos toga, hic primus iuuentæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ. Insignis nobilitas aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adolescentulis

tinebant) hoc idem presagium equinum adtribuit: sed diuersâ paulùm formâ: Equum, inquit, qui maximus inter alios habetur, & ut sacer ab his veneratur, super fixas in terram duorum cuspides hastilium inter se transmissorum, supplicij obsequio ducunt: & præmissis sortibus quibus id explorauere prius, per hunc quasi diuinum denuò augurantur.

38. NON SIMVL, NEC IYSSI.] *Bambergensis, influ. Rhenanus in veteri codice legi ait, nec iniussi. ex quo bene etiam scripseris, nec ut iussi.*

39. PROVT ÆTAS CUIQVE.] *Claudianus hoc etiam in Getico confesso notat:*

— primosque suorum
Consultare iubet, bellis annisque verendos.
Crinigeri sedere patres.

40. IMBELLES ET CORPORE INFAMES.] *Hoc lego de Germanis? feri illi & horridi, femineo morbo & mollitie corporis infames? Numquam credam: & Quinctilianus certe eos purgat in Declamatione pro Milite, cuius pudicitia tentata à Tribuno: Nihil tale nouere Germani, & sanctius apud Oceanum viuunt. Scribamus igitur (gratiam mihi age magna patria) & torpore infames: Non enim alia mens hic Taciti, quàm quod ignavos, torpentes, bello inuitiles, crate impositâ merferint. Idem in eodem verbo vitium apud Agellium lib. XIX. cap. XII. in extremo: Omnibus vehementioribus animi officiis amputatis in corpore ignauæ & quasi eneruatæ vitæ consenescent. scribe, torpore. Hoc mihi certum. quatit tamen non nihil Athenæus lib. XIII. qui sædum illud vitium remotum à me, rursus imponit Germanis: Κέλτοι δὲ τῶν Βαρβάρων, inquit, καί τοι καλλίστας ἔχοντες γυναικας, παιδινοὺς μᾶλλον χαίρουσι, ὡς πολλοὺς ἐνὶ ταῖς δοραῖς μετὰ δύο ἑσθμύων ἀναπαύεσθαι. Quem falli tamen scio:*

nec vitica illa umquam tetigit maiores nostros. Austri & Orientis ista infamia sit: quæ ne nunc quidem Septemtriones habitat, aut frigidum castumque hunc orbem. Hac labefacere conati alij, sed firmauimus in

EXCVRS. A.
41. QUI IYRA PER PAGOS VICOSQVE REDDVNT.] *In alia verba sententiam it Bambergensis liber: qui vitâ per pagos vicosque excellunt. Sed non auellor à vulgata.*

42. CENTENI SINGVLIS.] *Hoc est quod in lege Alamannorum prisca lego: Conuentus autem, secundum consuetudinem aliquam, fiat in omni Centenâ, coram Comite aut suo Misso, & coram Centenario ipsum placitum fiat.*

43. NISI ARMATI AGVNT.] *Quem eundem morem Grecis prisca fuisse, eosque solitos σιδνεροποιεῖσθαι, Thucydides notauit. Idemque de Gallis, Linius lib. XXI. In his noua terribilisque species visa est, quod armati (ita mos gentis) in concilium venerunt. Quin conuiuia etiam Germani adibant in armis. Tacitus hoc ipso libro: Tum ad negotia, nec minus sæpè ad conuiuia procedunt armati. Athenæus lib. IV. famulos adstitisse vel affedissee conuiuanti-
tibus iis vult, cum scuto, lanceâ, & iustis armis. Καὶ οἱ μὲν, αἰτ, τῆς θυρεὺς ὀπλοφοροῦντες ἐκ τῶν ὀπίσω παρῆσιν. οἱ δὲ δορυφόροι, καὶ τῶν ἀντιπρὸ καθήμεροι κύκλω, καὶ δὲ περὶ οἱ διαπύται στυδωχῆν. Denique templa ipsa adiere armati. Panegyristes: Nec maiores vestri templa ingrediebantur, nisi armati.*

44. SCVTO FRAMEAQVE.] *Originem moris vides aus nostris ad insaniam amati, Equites creandi. Fallor, aut tangit eumpse Diaconus in Longobardicis, lib. I. cap. XV. Scitis non esse apud nos Consuetudinem, ut regis filius cum patre prandeat, nisi prius à rege gentis exteræ arma susceperit. Adde, si lubet, Caput sequens.*

A tūlis assignant. ⁴⁵ Ceteris robustioribus ac iam pridem probatis aggregantur. nec rubor inter comites aspici. Gradus quinetiam & ipse comitatus habet, iudicio eius quem sectantur. Magnaque & comitum æmulatio, quibus primus apud principem suum locus; & principum, cui plurimi & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæc vires, magno semper electorum iuuenum globo circumdari, in pace decus, in bello præsidium. Nec solum in suâ gente cuique, sed apud finitimas quoque ciuitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat. expetuntur enim legationibus, & muneribus ornantur, & ipsâ plerumque famâ bella profligant. Cùm ventum in aciem, turpe principi virtute vinci; turpe comitatu, virtutem principis non adæquare. Iam verò infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ eius assignare, ⁴⁶ præcipuum sacramentum est. Principes pro victoriâ pugnant: comites pro principe. Si ciuitas, in quâ orti sunt, longâ pace & otio torpeat; plerique nobilium adolescentium petunt vltro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt. quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clarescunt, magnumque comitatum non nisi vi belloque ⁴⁷ tueantur. exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque framæam. Nam epulæ, & quamquam incomiti largi tamen apparatus, pro stipendio cedunt. Materia munificentia per bella, & raptus. Nec arare terram, aut expectare annum, tam facile persuaseris, quàm vocare hostes & vulnera mereri. pigrum quinimodò & iners videtur sudore acquirere, quod possis sanguine parare. Quotiens bella non ineunt, ⁴⁸ non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno, ciboque. Fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegatâ domus & penatium & agrorum curâ feminis senibusque, & infirmissimo cuique ex familiâ. ⁴⁹ Ipsi hebet: mirâ diuersitate naturæ, cùm iidem homines sic ament inertiam, & oderint quietem. Mos est ciuitatibus ⁵⁰ vltro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, * quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subuenit. Gaudent præcipue finitimarum gentium donis, quæ non modò à singulis, sed publicè mittuntur: electi equi, magna arma, phaleræ, torquesque. Iam & pecuniam accipere docuimus. Nullas Germanorum populis vrbes habitari, satis notum est; ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diuersi, vt fons, vt campus, vt nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, siue aduersus casus ignis remedium, siue inscitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum vsus. Materiâ ad omnia vtuntur informi, & citra speciem aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt terrâ ita purâ ac splendente, vt picturam ac lineamenta colorum imitetur. Solent & ⁵¹ subterraneos specus aperire.

Gradus pro v. vruse.

Cap. 14. Deuotio.

Militare studium.

Cap. 15. Venatio.

Tributa, aut munera.

Cap. 16. Nulla vrbes.

Vici, & domus.

Specus subterranei.

45. CETERIS ROBUSTIORIBVS.] *Lege, ceteri. statim liber vetus, aggregant, non aggregantur. quod Taciti & veterum phrasim olet.*

46. PRÆCIPVVM SACRAMENTVM.] *Liber scriptus, principum sacramentum.*

47. TVEANTVR.] *Scriptus, tueare.*

48. NON MULTVM VENATIBVS.] *Pugnam cum Cesare hic video, imò cum vsu & ratione. Caesar ait: Vita Germanorum omnis in venationibus, atque in studiis rei militaris consumitur. Iterum de Suenis: multum sunt in venationibus. Vsus etiam & ratio suadent, gentes acres, feras, ubi siluarum copia, venatui addictas. Nec aliter in hac ipsâ gente hodie. Pacem vera emendatio faciet: quoties bella non ineunt, multum venatibus. negatione eiectâ, quæ haud dubiè malè geminata & petita è prioribus verbis.*

49. IPSI HEBENT: MIRA.] *Expressi Farnes. scripturam, nec quin ea germana sit dubitaueris. Vulgati, ipsi habent miram diuersitatem.*

50. VLTRO AC VIRITIM CONFERRE.] *Immunitum locum esse res & sermo ipse clamant. Rhenanus ex vestigiis, vt ait, libri, vltro equitium conferre. Et scio vocem Equitij probam, Iurisconsultis usurpatam: & morem ipsum in Armeniis etiam obtinuisse, qui equos regi alebant in tributum. Xenophon id m. docuit lib. iv. De expeditione Cyri. At ne sic quidem pendencia verba firmaueris, quæ sequuntur. An equitium armentorum dices? an frugum? ridiculum. Mihi nota excidisse videbatur x. quæ Decimam significat, vel Decimas: sicut eadem geminata xx. vigesimam, in lapidibus sæpe. scribesq; meo sensu: vltro ac viritim x. conferre. Quin mos quidem ille etiam hodie obtineat apud plerosque, de conferendis Decimis in nobilitatis vsu, negari non potest. Vel explere etiam possis: vel frugum, quod pro.*

51. SVBERRANEOS SPECVS APERIRE.] *Idem Pomponius Mela de Sarmatis: Atque ob sæua hiemis adfiduæ, demersis in humum sedibus, specus aut suffossa habitant. Xenophon de frigidâ Arme-*

aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemi & receptaculum frugibus : quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt: & si quando hostis aduenit, aperta populatur. abdita autem & defossa, aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quærenda sunt. Tegumen omnibus sagum, sibilâ, aut, si desit, ⁵² spinâ confertum. Ceterâ intecti, totos dies iuxta focum atque ignem agunt. Locupletissimi veste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatæ ac Parthi, ⁵³ sed strictâ & singulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, vteriores exquisitiùs, vt quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, & detracta velamina ⁵⁴ spargunt maculis pellibusque belluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotum mare gignit. Nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod ⁵⁵ feminæ sæpiùs lineis amictibus velantur, eosque purpurâ variant, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos. sed & proxima pars pectoris patet. Quamquam seuera illic matrimonia. Nec vllam morum partem magis laudaueris. nam propè soli barbarorum singulis vxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non ⁵⁶ vxor marito, sed vxori maritus offert. Interfunt parentes & propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus noua

Cap.17. Vestitus eorum.

Feminarum vestes.

Cap.18. Matrimonia casta.

Dotium ratio.

Armeniorum regione, libro IV. Expedit. Cyri: Αἰδ' οἰκίαι ἦσαν κατάγειοι, τὸ μὲν εὐμαῶν ὡς περ φρέατος, κατὰ δὲ εὐρείαι. αἱ δὲ εἰσοδοὶ τοῖς μὲν ὑποζυγίοις ὄρουσαι, οἱ δὲ ἀνθρώποι καὶ κλίμακας κατέβαινον. ἐν δὲ ταῖς οἰκίαις ἦσαν αἰγες, βόες, ὄνες, ὄρνιθες, καὶ τὰ ἐκ γονα τέτων. Frustrâ autem originem Stubarum (ita Ditmarus & illa ætas appellant) petunt istinc. quid enim simile? Que tamen antiqua: & nisi fallor, Iuliano intellecta in Antiochico, vbi de Lutetiâ urbe: Ἐξ ἄλλοτε δὲ τὸ δωμάτιον ἑδαμῶς, ἔπερ ἐκείθεν ὄν περ εἰσὶν τὸς ὑπὸ τοῖς καμῖνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων ἐκείθεν γίνονται. Quamquam & Romanos euo Seneca nescio quid tale commentos reperio: effectu quidem pari cum Stubis, non prorsus formâ. Seneca de Prouidentia, cap. IV. Quem specularia semper à flatu vindicant, cuius cænationes subditus & parietibus circumfusis calor temperauit. Quod fieri solitum, per ambientes quosdam tubos. Idem epistolâ XCI. Quædam nostrâ demum prodisse memoriâ scimus, vt speculariorum vsum, vt suspensuras balnearum, & impresos parietibus tubos per quos circumfunderetur calor, qui ima simul & summa foueret æqualiter. Quos tubos vidisse & notasse me in ruinis balnearum Romæ, probe memini. Ceterum quod hic legitur, fimo onerant: in Bambergensi est, fimo operiunt.

* Nota igitur indigenam Pannicam vocem fuisse.

* Et si proprie pars infra zonam pendula panti nobis dicta.

Quamquam de plebe id tantum ceperim. Ceterum ad adstrictas, & Sidonij verbo, assutas Germanorum vestes, facit Dionis locus, lib. XL. me quidem interprete: vbi Pannonios dictos affirmat, ὅτι τὰς χιτῶνας χειρὶ δ' ὠτρὺς ἐξ ἰματίων πινῶν ἐς πάντας ἐπιχρῶσάς ποσὶ καὶ κατατέμνοντες καὶ * ποροσχορεύοντες συρραπίσσι: quod tunicas manuleatas ex centonibus quibusdam & Pannis (ita appellant) patrio more conscindunt & coaptant. Certum mihi est describi nostram tunicam, quam etiam nunc ab istis Pannis * Pantrock vocamus, veterum Germanorum & Pannonum ipsam vestem. Ea sanè, quo Dio ait, è variis panniculis, præter Romanum & Græcum morem, ad singula membra aptata.

54. SPARGUNT MACVLIS PELLIBVSQVE.] Spectus mihi locus. nec sat scio quomodo detractas feris pelles, sparserint maculis & pellibus aliis piscium. An Tacitus ipse hæc parùm intellexit? an macule vox non sine maculâ? Ego de Mastrucis aliquid libens supposuissem, si verificata mihi libri alicuius aura. Isidorus: Mastruca, vestis Germanica ex pelliculis ferarum. Prudentius:

— maltrucis proceres vestire togatos. Cicero Sardis etiam tribuit: Sardorum mastruca tentauit. Ceterum non dubium, quin duplici ornatu eos vsos Tacitus velit, siue è feris, siue è piscibus. Iustinus clariùs paullo idem tradidit de Scythis: Lanæ iis vsus ac vestium ignotus: pellibus tantum ferinis aut marinis vestiuntur.

55. FEMINÆ SÆPIVS LINEIS.] Plinius: Iam quidem & Transihenani hostes vela è lino texunt, nec pulehriorem aliam vestem eorum feminæ nouere. Linigere igitur femine, nec tamen solæ. Benè ait, sæpius. Diaconus in viris agnoscit, lib. IV. cap. VII. Vestimenta eis (de prisicis Longobardis ait, indubiè Germanis) erant * laxa & maxime lineæ, qualia Angli Saxones habere solent, ornata institis latioribus, vario colore contextis. Sed profecto que hic de variegatis latiq, institis dicit, nos qui vidimus, scimus etiam nunc proprium amictum esse Germanicarum mulierum.

56. VXOR MARITO.] Illud, marito, abest Bambergensi, & sine fraude.

52. SPINA CONSERTVM.] Cur spinâ propriè & quæstè? an non aptius pinnâ? Siue è pisce siue è ligno, aut aliâ materie fuit. Certè hodieq, ita à tenuibus aut sordidis factitatur.

53. SED STRICTA ET SINGVLOS ARTVS EXPRIMENTE.] Exprimit verò egregiè vestitum hunc nostrum, qui à nobilitate Germanicâ diffusus non dubiè per Europam. Describit & Sidonius eleganter, in Panegyrico:

Strictius assutæ vestes, procera coërcent Membra virum: patet iis arctato tegmine poples.

Pars tamen etiam quedam Germania olim in laxis vestibus, Sarmatico ritu, siue braccis. Lucanus Batauis & Vangionibus hoc tribuit:

Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis Vangiones, Batauique truces.

* Verum est in plebe.

A noua nupta comatur, sed boues & frenatum equum, & scutum cum frameâ, gladio-
 que. In hæc munera vxor accipitur: atque inuicem ipsa armorum aliquid viro affert.
 hoc maximum vinculum. hæc arcana sacra, hos conjugales deos arbitrantur. Ne se mu-
 lier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putet, ipsis incipientis matri-
 monij auspiciis admonetur, venire se laborum periculisque sociam, idem in pace,
 idem in prælio passuram aufuramque. hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data
 arma denuntiant. Sic viuendum, sic pereundum. accipere se quæ liberis inuiolata ⁵⁷ ac
 digna reddat, quæ nurus accipiant, rursusque ad nepotes referant. Ergo septâ pudicitia ^{Cap. 19.}
 agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptæ.
⁵⁸ Litterarum secreta viri pariter ac feminæ ignorant. Paucissima in tam numerosâ
 gente adulteria, ⁵⁹ quorum pœna præsens, & maritis permixta. ⁶⁰ Accisis crinibus nu-
 datam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verberare agit.
⁶¹ publicatæ enim pudicitia nullâ venia. non formâ, non ætate, non opibus maritum
 inuenerit. Nemo enim illic vitia ridet: nec corrumpere & corrumpi, ⁶² sæculum voca-
 tur. ⁶³ Melius quidem adhuc eæ ciuitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum
 spe votoque vxoris semel transigitur. Sic vnum accipiunt maritum quo modo vnum
 corpus, vnamque vitam; ne vlla cogitatio vltra, ne longior cupiditas, ne tamquam ma-
 ritum, sed tamquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire, aut quem-
 quam ⁶⁴ ex agnatis necare, flagitium habetur. plusque ibi boni mores valent, quam alibi
 bonæ leges. In omni domo nudi ac fordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur,
 excrescunt. Sua quemque mater vberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. ^{Cap. 20.}
 Dominum ac seruum nullis educationis deliciis dignoscas. Inter eadem pecora, in eâ-
 dem humo degunt; donec ætas separet ingenuos, virtus agnoscat. Sera iuuenum Venus,
 eoque inexhausta pubertas. nec virgines festinantur. eadem iuuenta, similis proceritas.
 pares validique miscentur. ac robora parentum liberi referunt. Sororum filiis idem apud
 auunculum, qui apud patrem honor. Quidam sanctiorem artioreque hunc nexum
 sanguinis arbitrantur, & in accipiendis obsidibus magis exigunt, tamquam ij & ani-
 mum firmiter & domum latius teneant. Heredes tamen successoresque sui cuique li-
 beri: & nullum testamentum. Si liberi non sunt; proximus gradus in possessione, fra-
 tres, patru, auunculi. Quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto
 gratiosior senectus. nec vlla orbitatis pretia. Suscipere tam inimicitias seu patris seu ^{Cap. 21.}
 propinqui, quam amicitias necesse est. Nec implacabiles durant. luitur enim etiam ho-
 mici-

57. AC DIGNA REDDAT.] *Vox, digna, non sincera videtur. Sed & paullo ante Rhenanus, sic viuentes, sic parientes, alibi legisse ait.*

58. LITTERARVM SECRETA.] *Quare hoc matrimonii, aut pudicitia, interserit? mireris. Nimirum quia & litteris occultè missis corrumpi feminae solent, sicut de Ludis & Conuiujs prauit. At eæ non sunt.*

D 59. QVORVM POENA PRÆSENS.] *Adius & Romanos mores propius in Bambergeni scriptum, quorum pœna parentibus & maritis. Nam maritos solos hic esse arbitros, satis crudum. Tamen è Tacito non aliter apparet.*

60. ACCISIS CRINIBVS.] *Pœna duplex; Crines accisi, & Fustigatio. Quam reperio etiam aliàs usurpatam Germanis in hoc sexu. In Legibus Luitprandi regis Longobardorum, hæc est in feminas violentas, & quæ seuiunt aut ferunt. Publicus, in quo loco factum fuerit, comprehendat ipsas mulieres, & faciat eas Decaluare & Fustare (ita lego: vulgò, Frustrare) per vicos vicinantes ipsius loci. Paullo aliam & magis seuam Adulterij pœnam tribuit præcis Saxonibus Bonifacius Archiepiscopus, Epistolâ ad Ethelbaldum Anglorum Regem: In anti-*

quâ, inquit, Saxoniâ, vbi nulla Christi cognitio, si virgo in maternâ domo, vel maritata sub coniuge sit adulterata: manu propria strangulatam cremant. (& addit quod huc magis facit) aut cingulo tenus vestibus abscissis flagellant eam castæ matronæ, & de villâ in villam missæ occurrunt nouæ flagellantes, & cultellis pungunt donec interimant.

61. PVBLICATÆ ENIM.] *Scribam, publicatæ etiam. Non enim hoc ad adulteras refero: sed ad eas quæ adhuc iniuges, vulgò tamen se vulgabant.*

62. SÆCVLVM VOCATVR.] *Grauis & acuta sententia. Seneca similiter: Desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores sunt.*

63. MELIVS EÆ CIVITATES.] *Inter quas ciuitates fuisse Erulos reperio: apud quos adeo secundo matrimonio non locus, vti vxor marito mortuo laqueo sese statim iuxta sepulchrum indueret: nisi inuisa viuere mallet & infamis: Procopius tradit lib. II. De bello Gothorum.*

64. EX AGNATIS NECARE.] *Agnatos hic accipies non ἀγγιστικῆς aut οὐγγιστικῆς, sed liberos qui adnascuntur. etsi malle omnino scribi, gnatis. Illud autem*

Cap. 19.

Adulterij
pœna.Vniuersa
alibi.Cap. 20.
Educatio li-
berorum.Cognationis
vincula.

Successio.

Cap. 21.
Inimicitia
propagan-
tur.

micidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem vniuersa A
domus, vtiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae iuxta libertatem. Con-
uictibus & hospitibus non alia gens effusius indulget. Quemcumque mortalium arcere
recto, nefas habetur. pro fortunâ quisque apparatus epulis excipit. Cum defecerit, qui
modò hospes fuerat, monstrator hospitij & comes, proximam domum non inuitati
adeunt. nec interest. pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque, quantum ad
ius hospitij, nemo discernit. Abeunti, si quid poposceris, concedere moris. & poscendi
inuicem eadem facilitas. Gaudent muneribus. sed nec data imputant, nec acceptis obli-
gantur. Victus inter hospites comis. Statim è somno, quem plerumque in diem extra-
hant, lauantur, sæpius calidâ, vt apud quos plurimum hiems occupat. Laui, cibum ca-
piunt. ⁶⁵ separatæ singulis sedes, & sua cuique mensa. Tum ad negotia, nec minus sæ-
pè ad conuiuia procedunt armati. ⁶⁶ Diem noctemque continuare potando, nulli
probrum. Crebræ vt inter vinolentos rixæ, rarò conuictis, sæpius cæde & vulneribus
transiguntur. Sed & de reconciliandis inuicem inimicis, & iungendis affinitatibus, &
adsciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumque in conuictis consultant: B
tamquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad ma-
gnas incalescat. Gens non astuta nec callida, aperit adhuc secreta pectoris, licentiâ loci.
Ergo detecta & nuda omnium mens, posterâ die retractatur: ⁶⁷ & salua vtriusque tem-
poris ratio est. Deliberant, dum fingere nesciunt: constituunt, dum errare non possunt.
Potui humor ex ordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus. Pro-
ximi ripæ, & vinum mercantur. Cibi simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac con-
cretum. Sine apparatu, sine blandimentis expellunt famem. aduersus sitim, non eadem
temperantia. Si induleris ebrietati, suggerendo quantum concupiscunt; haut minus
facilè ⁶⁸ vitiis, quàm armis vincentur. Genus spectaculorum vnum atque in omni cœ-
tu idem. Nudi iuuenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas frameas
faltu iaciunt. Exercitatio artem parauit, ars decorem. non in quæstum tamen aut mer-
cedem.

Cap. 22.
Vitus, &
mensa.

Vinolentia,
& ex eâ
pugna.

Consultatio
in conuictis.

Cap. 23.
Potus, cere-
uisia.

Cap. 24.
Spectaculum
militare.

autem mirum, Tacitum omittente insignitum illum ritum & peculiarem Germanis de exploratione liberorum. Prolem enim natam ad Rhenum ferebant, clypeos imponebant. si vndis abriperetur, notham censebant: si innataret, verè suam. Claudianus in Rufinum:

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.
Iulianus in epistolâ ad Maximum: Πάντας ἑδὲ ὁ
Ρῆνος ἀδικεῖ τὰς Κελτὰς, ὅς τὰ μὲν γόθα τῆς βρε-
φῶν ὑποβρύχια τὰς δὲ νῆας ἀέμπει, καὶ ἀπερ ἀπο-
λάσσει λέχους πλωτῶν ἀπέπων. Ὅσα δ' ἂν ἐπὶ γῆν
καταρῆ ἀέρματος, ὑπερῶν τὲ ὑδάτος αἰωρεῖ, καὶ
τῆς μὲν ἑμῆς πάλιν εἰς χεῖρας δίδωσιν ὡπερ
ἀδέκασον πνα μαρτυρεῖαν αὐτῆς καταρῆν καὶ ἀμέ-
πων γάμων τὴν τὲ παιδὸς σωτηρίαν ἀνδρω-
μῆρος. Meminit & Galenus De sanitate tuendâ, &
alibi Nazianzenus. Nonnus in Dionysiâs, ab hac
causâ Rhenum ἐλεγχιστῶν ἀγῆμονατ, velut indi-
cem vindicemque coniungit: & vidi, qui Rheni etymon
hinc petendum adseueraret, quasi purgatoris. Pu-
rus quidem sermone nostro reyn dicitur. Sed addo,
Valerium Flaccum ad Scythas & ad Phasum hunc
riuum (nescio an ex vero) transferre. Ita enim ibi
quispiam:

subitam sæui durauimus amne
Progeniem, natoque rudes?

65. SEPARATÆ SINGVLIS SEDES.] Quæ se-
des è gramine aut frondibus, & propriè thori. Strabo
suggerit, qui de Gallis: καὶ τῶν ῥομῶν δειπῶσιν ἐν
σιβασί: sedentes cibum capiunt in thoris grami-
neis. Posidonius apud Athenæum, fanum sibi sub-

strauisse scribit, ab eadem mente: Κελτοὶ τὰς χοὰς
προτίθεν, χόρτον ὑποβάλλοντες, καὶ ἐπὶ τετραπέζων
ἐυλίων, μικρὸν ὑπὸ τῆς γῆς ἐπιηρμῶν, &c. Plura
de ratione Germanici victus, ibi vide. lib. IV. inquam,
cap. XIII.

66. DIEM NOCTEMQUE.] Vti & de Persis Xe-
nophon scribit in Padiâ, lib. VIII. extremo. qui mirum
(studiosè enim notauit & comparauit) quàm in plera-
que omni ratione vitæ, imò & linguâ, consentiant cum
Germanis.

67. ET SALVA VTRIVSQUE TEMPORIS RA-
TIO EST.] Ego scribo, & sua vtriusque temporis.
Interpretor: Germani in conuictis & computationi-
bus deliberant quidem agitantque res graues: sed eas-
dem sobrii recoquunt & retractant. & vtrique rei sua
quædam ratio est. Rationem autem addit, deliberant,
dum fingere nesciunt; constituunt, dum errare
non possunt. Ex quo discimus, Germanos in conui-
uij illâ licentiâ proposuisse quidem seria: sed eadem
conclusisse & finisse, non nisi matutinos & serios. Per-
sarum similis mos, qui, vt Strabo ait, ἐν οἴῳ τὰ μέ-
γιστα βελούοντα, καὶ ταῦτα βελούοντα τῶν ἐν νύκτι
τίθενται. idemque de iis Ammianus lib. XVIII. Sed
& Cretensium: ex Athenæo lib. IV. cap. V. Græcorum
omnium veterum: ex Homero, & Plutarcho diffusè
Symposiacorum lib. VII. Propius ad Tacitum Hero-
dotus I. Quæ Persæ in conuictis deliberauerint,
postridie proponi sobrii: & si tunc placuerint,
rata esse.

68. VITIIS, QUAM.] Bambergensis, vino quàm
armis.

69. DE-

Acedem. quamuis audacis lasciuia pretium est, voluptas spectantium. Aleam (quod mirere) sobrij inter serua exercent, tantâ lucrandi perdendive temeritate, vt cum omnia defecerunt, extremo ac nouissimo iactu⁶⁹ de libertate & de corpore contendunt. Victus voluntariam seruitutem adit. Quamuis iunior, quamuis robustior, alligari se ac venire patitur. Ea est in re prauâ peruicacia: ipsi fidem vocant. Seruos conditionis huius per commercia tradunt, vt se quoque pudore victoriæ exfoluant. Ceteris seruis, non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis, vtuntur: suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, vt colono iniungit: & seruus hæcenus paret. Cetera domus officia, vxor ac liberi exsequuntur. Verbera e seruum, ac vinculis & opere coercere, rarum. Occidere solent, non disciplinâ & seueritate, sed⁷⁰ impetu & irâ, vt inimicum, nisi quod impune. Liberti non multum supra seruos sunt, raro aliquod momentum in domo, numquam in ciuitate, exceptis dumtaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & super ingenuos & super nobiles ascendunt.

B Apud ceteros, impares libertini libertatis argumentum sunt. Fenus agitare & in vsuras extendere, ignotum: ⁷¹ ideoque magis seruatur, quam si veritum esset. ⁷² Agri pro numero cultorum ab vniuersis per vices occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur. facilitatem partiendi, camporum spatia præstant. Arua per annos mutant, & superest ager. nec enim cum vbertate & amplitudine soli labore contendunt, vt pomaria conferant, & prata sepiant, & hortos rigent. sola terræ seges imperatur. Vnde annum quoque ipsum non in totidem digerunt species. Hiems & ver & æstas intellectum ac vocabula habent: autumnus perinde nomen ac bona ignorantur. Funerum nulla ambitio. Id solum obseruatur, vt corpora clarorum virorum certis lignis cremantur. Struem rogi, nec vestibus, nec odoribus cumulant. sua cuique arma, quorundam igni & equus adiicitur. Sepulcrum cespes erigit. Monumentorum arduum & operosum honorem, vt grauem defunctis, aspernantur. Lamenta ac lacrymas citò, dolorem & tristitiam tardè ponunt. Feminis lugere honestum est: ⁷³ viris meminisse.

C Hæc in commune, de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta, ritusque quatenus differant: quæ nationes à Germaniâ in Gallias commigrauerint, expediam. Validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum diuus Iulius tradit. eoque credibile est, etiam Gallos in Germaniam transfregissos. Quantulum enim amnis obstabat, quò minus, vt quæque gens eualuerat, occuparet permutaretque sedes promiscuas adhuc, & nullâ regnorum ⁷⁴ potentia diuisas? Igitur inter Hercyniam siluam, Rhenumque & Mænum amnes, Heluetij; vltiora Boij, Gallica vtraque gens, tenuere. ⁷⁵ Manet adhuc Boiemi nomen, significatque ⁷⁶ loci

Alea studium.

Cap. 25. Seruis, diuisi: & vt coloni.

Liberti.

Cap. 26. Vsuræ nulla. Agrorum cultus, & partitio.

Cap. 27. Funera.

Cap. 28. Altera belli pars.

Galli in Germaniam.

Heluetij.

Boij.

⁷⁶ loci

69. DE LIBERTATE ET DE CORPORE.] *Hoc alex studium pertinax Hunnis adtribuit D. Ambrosius, de Tobia cap. XI. Ferunt Hunnos, cum sine legibus viuant, alex solius legibus obedire, in procinctu ludere, tesseras simul & arma portare, & plures suis, quam hostilibus ictibus interire. In victoriâ suâ captiuos fieri, & spolia suorum perpeti, quæ pati ab hoste nequiuertint. Et statim: Frequenter autem tanto ardore rapi, vt cum ea quæ sola magna æstimant, arma victus tradiderit, ad vnum alex iactum vitam suam potestati vel victoris, vel feneratoris, addicat. Denique constat, quoddam quidam & Imperatori Romano cognitus, in fide pretium seruitutis, quod sibi tali sorte superatus intulerat, supplicii imperatæ mortis exsoluerit. O fæda, ô barbara. & scio apud quosdam Septemtrionalium hodie hanc insaniam pro parte vigere.*

70. IMPETU ET IRA.] *Hoc ita in Septemtrionis tractu, vt Holsatiâ atque alibi, etiam hodie Germani: & per mores licet.*

71. IDEOQUE MAGIS SERVATUR.] *Quid seruatur? imò non seruatur fenus, nec est eius vsus. Aliquid in hac scripturâ vitij: an spernitur, vel spernatur? ac tale sententia petit. Aut pro sensu capiendum, quasi de interdicto pr. eiuisset.*

72. AGRIS AB VNIVERSIS.] *Bambergensis, ab vniuersis vicis occupantur. longè aliâ, nec deteriore sententiâ.*

73. VIRIS MEMINISSE.] *Acute. Seneca communiter ita precipit, epistolâ c. Meminisse perseueret, lugere desinat.*

74. POTENTIA DIVISAS.] *Codex ille ipse, diuisas. quod probum scio.*

75. MANET ADHUC BOIEMI NOMEN.] *Latère aliud videtur in scripturâ Bambergensis, manet adhuc Boiis è munere nomen. Scribo, manet adhuc Boiasmi è re nomen. vel Boyasimium è re. Apud ad hæc vestigia, & rem ipsam. Strabo quidem clarè Βοιασμου regiam Marobodui nominat: quam dictam à Boiis vult nunc noster. Possis & Boyiamum scribere, verius propiusque ad etymon, quasi Boiorum domum.*

Pannonij.

Treueri, &
Neruij à
Germanis.

Et Vbij.

Cap. 29.
Batauorum
laus & si-
lus.

Mattiaci.

Agri Decu-
mates.

* leg. aucto

Cap. 30.
Catti.Bellica na-
tio.
Et disciplina
facta.

76 loci veterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus. Sed vtrum Arauisci in Panno-
niam ab Ofis Germanorum natione, an Ofi ab Arauiscis in Germaniam commigraue-
rint, cum eodem adhuc sermone, institutis, moribus vtantur, incertum est: quia pari
olim inopiâ ac libertate, eadem vtriusque ripæ bona malaque erant. Treueri & Neruij
circa affectationem Germanicæ originis vltro ambitiosi sunt, tamquam per hanc glo-
riam sanguinis, à similitudine & inertia Gallorum separentur. Ipsam Rheni ripam haut
dubiè Germanorum populi colunt, Vangiones, Treboci, Nemetes. Vbij quidem,
quamquam Romana colonia esse meruerint, ac libentius Agrippinenses 77 conditoris
sui nomine vocentur, 78 origine erubescunt, transgressi olim, & experimento fidei su-
per ipsam Rheni ripam collocati, vt arcerent, non vt custodirentur. Omnium harum
gentium virtute præcipui Bataui, non multum ex ripâ, sed insulam Rheni amnis co-
lunt, Cattorum quondam populus, & seditione domesticâ in eas sedes transgressus, in
quibus pars Romani imperij fierent. Manet honos, & antiquæ societatis insigne, nam
79 nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit. exempti oneribus & collationi-
bus, & tantum in vsum præcliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reseruantur.
Est in eodem obsequio & Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Roma-
ni 80 vltra Rhenum, vltraque veteres terminos imperij reuerentiam: Ita sede finibus-
que in suâ ripâ, mente animoque nobiscum agunt, cetera similes Batauis, nisi quod
ipso adhuc terræ suæ solo & cælo 81 acrius animantur. Non numerauerim inter Ger-
manicæ populos, quamquam trans Rhenum Danubiumque confederint, eos 82 qui De-
cumates agros exercent. Leuissimus quisque Gallorum, & inopiâ audax, dubiæ posses-
sionis solum occupauere. Mox limite * aucto promotisque prædiis, sinus imperij, &
pars prouinciæ habentur. Vltra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant,
non ita effusis ac palustribus locis, vt ceteræ ciuitates, in quas Germania patescit, durant
siquidem colles, paulatimque rarefcunt: & Catts suos saltus Hercynius prosequitur
simul atque deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax vultus, & maior ani-
mi vigor. Multum (vt inter Germanos) rationis ac solertiæ: præponere electos, audi-
re præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem,
vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare: quodque
rarissi-

76. LOCI VETEREM MEMORIAM.] *Voculam inserit Bambergem. veterem viæ memoriam: quâ quid faciam, sum incertus.*

77. CONDITORIS SVI NOMINE.] *Agrippam intellegit, qui Rhenum eos primus traduxit, & in iis sedibus collocavit. Ille tamen non est Colonia conditor, neque auctor nominis: sed ab Agrippinâ id habent, eius filia, vt Tacitus clarè in XII. Annalium scripsit. Itaque dubitavi, num conditoris suæ legerem: neque nouum, eius flexus verba in femineum etiam genus vsurpari. Virgilius de Iunone:*

Auctor ego audendi. Ouidius de Venere:
Sponsor coniugij stat dea picta sui.

Et plura sunt eiusmodi.

78. ORIGINE ERUBESCUNT.] *Imò verò, non erubescunt. Quamuis, inquit, Vbij nomen mutarint, & colonico iam iure, libentius Agrippinenses dicantur, à conditore: tamen nec Germanica originis eos pudet, libenterque se iis inserunt.*

79. NEC TRIBUTIS CONTEMNUNTUR.] *Siue, continentur. In promptu erat, conteruntur. sed parum elegans, cum idem verbi statim sequatur, nec publicanus atterit. Ferri & vulgata potest. Nam quibus tributa imponuntur, hoc ipso, vt victi, pro contemptis habentur & despretis. Steph. Pighius, in Hercule Prodicio, mallet, contenuantur.*

80. VLTURA RHENVM.] *Ergo non sunt Mattiaci (vt doctis viris visum) qui nunc Zelandi appellantur: etsi Matiorum vox, familiari appellatione, inter eos daret. Taciti hæc lustra: abnuct, atque vltra Rhenum propinqui Batauis, an vbi pars Northollandiæ nunc est, & vicini sinus?*

81. ACRIVS ANIMANTVR.] *Quia mari & frigori propiores. Neque opinor equidem vel ex hoc Taciti loco, Zelandos esse, sed vltra Rhenum, Septemtrionem versus populos: qui nunc in Frisiis, aut Northollandis censentur. At mare multa abrasit.*

82. QVI DECVMATES AGROS.] *Errare cenfeo, D qui proprium hic gentis aut loci nomen querunt. Quomodo verò iidem populi siue agri, trans Rhenum & Danubium simul sint? quod tamen ponit nosster. Ego communiter Decumates agros interpreter, qui Decumas soluunt. Cicero Decumanos dixit: Omnis, inquit, ager Siciliæ decumanus est. Nam hi agri non aliud sunt, quam trans limitem capti ab hoste, & militibus dati, si qui ex iis fructus. Qui haud multi aut vberes, quoniam hostibus expositi, & vt ipse ait, dubiæ possessionis id solum. Tacitum de his ipsis loqui ego sentio XIII. Annali: Frisij imbellem ætatem admouere ripæ, agrosque vacuos & militum vsui sepositos insedere. Hospitios agros non fructu tantum; sed mancipio militum esse iussit Imp.*

A rarissimum, nec nisi ratione disciplinae concessum, plus reponere in duce quam in exercitu. omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoque & copiis onerant. Alios ad praelium ire videas, Catos ad bellum. rari excursus & fortuita pugna. Equestrium sane virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas iuxta formidinem, contatio propior constantiae est. Et aliis Germanorum populis usurpatum, rara & priuata cuiusque audentia, apud Catos in consensum vertit, ut primum adoleuerint crinem barbamque summittere, nec nisi hoste caeso exuere votiuum obligatumque virtuti, oris habitum. Super sanguinem & spolia, reuelant frontem, sequentium demum pretia nascendi rettulisse, dignosque patriam ac parentibus ferunt. Ignauis & imbellibus manet squalor. Fortissimus quisque ferreum insuper annulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede holtis absoluat. Plurimis Catorum hic placet habitus: iamque canent insignes, & hostibus simul, suisque monstrati. omnium penes hos initia pugnarum. haec prima semper acies, visu noua. Nam ne in pace quidem vultu mitiore mansuescunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura; prout ad quemque venere aluntur, prodigi alieni, contemptores sui, donec exsanguis fenectus tam durae virtuti impares faciat. Proximi Cattis certum iam alueo Rhenum, quique terminus esse sufficiat, Vsiptij ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus, equestris disciplinae arte praecellunt. Nec maior apud Catos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic instituere maiores, posterius imitantur. Hi iusus infantium, haec iuuenum aemulatio; perseverant senes. inter familiam, & penates, & iura successorum, equi traduntur. excipit filius, non ut cetera maximus natus, sed prout ferox bello & melior. Iuxta Tencteros Bructeri olim occurrebant: nunc Chamauos & Angriuarios immigrasse narratur, pulsus Bructeris ac penitus excisis, vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio, seu praedae dulcedine, seu fauore quodam erga nos deorum. nam ne spectaculo quidem praelii inuidere. super LX. millia non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat quaeeso, duretque gentibus si non amor nostri, at certe odium sui: quando vrgentibus imperij fati nihil iam praestare fortuna maius potest, quam hostium discordiam. Angriuarios & Chamauos a tergo Dulgibini, & Chasuari cludunt, aliaque gentes haut perinde memoratae. a fronte Frisij excipiunt. Maioribus minoribusque Frisiis vocabulum est, ex modo virium; utraque nationes usque ad Oceanum Rheno praetextuntur, ambiuntque immensos insuper lacus, & Romanis classibus nauigatos. Ipsum quinetiam Oceanum illam tentauimus. & superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit: siue adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem eius referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se simul atque in Herculem inquiri. Mox nemo tentauit: sanctiusque ac reuerentius visum, de actis deorum credere, quam scire. Hactenus in Occidentem, Germaniam nouimus. In Septentrionem, ingenti flexu redit. Ac primo statim Chaucorum gens, quamquam incipiat a Frisiis, ac partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Catos usque sinuetur. tam immensum terratum spatium

Cap. 31.

Crinis ex voto ponitur.

Insigne ferreum annuli.

* Quidam libri, calcu

Cap. 32. Vsiptij ac Tencteri.

Cap. 33. Bructeri. Chamaui. Angriuarij.

Cap. 34. Dulgibini. Chasuari. Frisij duplices. Oceanum Romanis sentant.

Cap. 35. Chauci.

Imp. Alexander. de quo Lampridius: Sola quae de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus & militibus donauit, ita ut heredes essent, si heredes militarent: nec unquam ad priuatos pertinerent. Addidit sane his animalia & seruos, ut possent colere quod acceperant. Videntur autem id securitatis causa fecisse Romani, & ne hostes aut suspecti prope colerent. Itaque vacua loca, ad multa millia, sepe relinquebant. In Fragm. Dionis LXXIV. Commodus Imp. Buris populis Germania ea lege, inter alios, pacem dat: Ὅσα ἂν ἐποιήσω ποτὲ, μὴτε ἐνέμεν τοὺς ἀρῶντα ἐὰν δὲ τῆς χώρας ὁρῶν, τῆς περὶ τῆ Δακίαι ἕως: Ne incolerent unquam, neve

pascerent, in quadraginta stadiis terrae, quae Daciae proxima esset. De Germanis praescis, Caesar simile libro VI.

83. NEC NISI RATIONE DISCIPLINAE.] Bambergensis, nec nisi Romanae disciplinae. Et neutram sane lectionem iure spernas.

84. NEC NISI HOSTE CAESO.] Hoc teneo, pro eo quod scriptis, nec non hoste. At de more ipso, supra dixi.

85. VRGENTIBVS IMPERII FATIS.] Scriptus liber non male, vergentibus.

86. REFERRE CONSENSIMVS.] Idem, referre consueuimus.

tium non tenent tantum Chauca, sed & implent; populus inter Germanos nobilissimus, qui que magnitudinem suam malit iustitiâ tueri, sine cupiditate, sine impotentia, quieti secretique, nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrocinis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium argumentum est, quod ut superiores agant, non per iniurias assequuntur. Prompta tamen omnibus anima, ac si res poscat exercitus, plurimum virorum equorumque. & quiescentibus eadem fama. In latere Chaucorum, Cattorumque, Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt, idque iocundius, quam tutius fuit, quia inter impotentes & validos falso quiescas: vbi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. Ita qui olim boni æquique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur: Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit. * Tacti ruinâ Cheruscorum & Fosi contermina gens, aduersarum rerum ex æquo socij, cum in secundis minores fuissent. * Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parua nunc ciuitas, sed gloriâ ingens. veterisque famæ latè vestigia manent vtrâque ripâ castra, ac spatia, quorum ambitu nunc quoque meritis molem manufque gentis, & ⁸⁷ tam magni exercitus fidem. Sexcentesimo & quadragesimo annu vrbs nostra agebat, cum primùm Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone Coss. Ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur: tandiu Germania vincitur. Medio tam longi æui spatio, multa inuicem damna. non Sannis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem ⁸⁸ sæpius admonere, quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam eadem Crassi, amisso & ipse Pacoro, infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone & Cassio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cepione, M. quoque Manlio fufis vel captis, quinque simul consularibus exercitus Populo Romano, Varum tresque cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt. nec impune C. Marius in Italiâ, diuus Iulius in Galliâ, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ & ciuiliu armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectauere: ac rursus pulsi inde, ⁸⁹ proximis temporibus triumphati magis quam visti sunt. Nunc de Sueuis dicendum est, quorum non vna vt Cattorum Tencterorumque gens: maiorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Sueui vocentur. Insigne gentis, obliquare crinem, ⁹⁰ nodoque substringere. Sic Sueui à ceteris Germanis: sic Sueuorum ingenui à seruis separantur. Sic in aliis gentibus seu cognatione aliquâ Sueuorum, seu (quod sæpè accidit) imitatione, rarum & intra iuuentæ spatium: apud Sueuos vsque ad canitiem horrentem capillum rere sequuntur, ac sæpè in ipso solo vertice religant. principes & ornatiorem habent. Ea

Cap. 36.
Cherufci.

* Pichena,
Traçti
Cap. 37.
Cimbri.
Eorum vires
& virtus.

Cap. 38.
Sueni.

87. TAM MAGNI EXERCITVS FIDEM.] *A coniecturâ reposui: cum in libris sit, magni exitus.*

88. SÆPIVS ADMONVERE.] *Recta, imò & sapiens scriptura est. Admonemur in felicitate sortis humane, per aduersa: hoc, inquit, Parthi nobis fecere, ne inuictos nos putaremus; neque tamen sæpius, quam Germani.*

89. PROXIMIS TEMPORIBVS.] *Referendum ad Domitiani tempora, qui de Cattis triumphum duxit: sed vanum & irrisum. Suetonius, & noster Tacitus in Agricola: Inerat conscientia, derisui nuper fuisse falsum è Germaniâ triumphum.*

90. NODOQVE SVBSTRINGERE.] *Quod Sueuis proprie tribuit noster, aly Germanis vulgo. Seneca de Ira: Non est Æthiopis insignitus inter suos color, nec crinis ruffus & in nodum coactus apud Germanos. Idem epistolâ cxxxvi: Quid capillum ingenti diligentia comis? cum illum vel effude-*

ris mote Parthorum, vel nodo Germanorum vinxeris, vel vt Scythæ solent, sparseris. *Martialis etiam Sigambri:*

Crinibus in nodum tortis venere Sigambri. *Idem vniuersè alibi: Rhenique nodos. Tertullianus Cirros in Germanis agnoscit, fortasse ab hac crinum obliquatione & flexu. De virginibus velandis: Debebunt & ipsi aliqua insignia sibi defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos barbarorum, aut cicadas Atheniensium, aut cirros Germanorum. idè quia, vt hic scriptum, crinem obliquabant. Iuuenalis:*

Cartula quis stupuit Germani lumina, flauam Cæsariem, & madido torquentem cornua cirro?

Taciti tamen locum huncce de obliquando crine, fateor ita etiam capi posse, vt crinem non in rectum passim descendere, sed reducerint in posteriorem verticem & obliquarint.

A Ea cura formæ, sed innoxia. Neque enim vt ament amenturve: in altitudinem quamdam, & terrorem, adituri bella comiti, ⁹¹ vt hostium oculis, ornantur. Verustissimos se nobilissimosque Sueuorum ⁹² Semnones memorant. Fides antiquitatis, religione firmatur. Stato tempore in siluam ⁹³ auguriis patrum & prisca formidine sacram, omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine celebrant barbari-ris horrenda primordia. Est & alia luco reuerentia. Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, vt minor, & potestatem numinis præ se ferens. si fortè prolapsus est, attolli & insurgere haut licitum. per humum euoluuntur. eoque omnis superstitionis respicit, tamquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia. Adicit auctoritatem fortuna Semnonum. centum pagis habitatur: magnoque corpore efficitur, vt se Sueuorum caput credant. Contra Langobardos ⁹⁴ paucitas nobilitat, quod plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed præliis & periclitando tuti sunt. Reudigni deinde & Auiones, & Angli, & Varini, & Eudoses, & Suardones, & Nuithones fluminibus aut siluis muniuntur. nec quidquam notabile in singulis, nisi quod ⁹⁵ in commune Herthum, id est, Terram matrem colunt, eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur. Est in insulâ Oceani Castum nemus, dicatum in eo vehiculum veste contextum, attingere vni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali deam intelligit, vestamque bubus feminis multâ cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca, quæcumque aduentu hospitioque dignatur. Non bella incunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum. pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiata conuersatione mortalium deam templo reddat. mox vehiculum & vestes, & si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Serui ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaque ignorantia, quid sit illud quod tantum perituri vident.

Cap. 39.
Semnones.

Lucus sacer.

Cap. 40.
Langobardi.Dea Aert-
hum, & eius
religio.

Et hæc quidem pars Sueuorum in secretiora Germaniæ porrigitur. Propior (vt quo modo paullo antè Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum ciuitas, ⁹⁶ fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ripâ commercium, sed penitus, atque in splendidissimâ Rhætiæ prouinciæ ⁹⁶ coloniâ, passim sine custode transeunt, & cum ceteris gentibus arma modò castraque nostra ostendamus, his domos villaque

Cap. 41.
Hermunduri.

91. VT HOSTIUM OCULIS, ORNANTVR.] *Placet. Bambergensis, armentur.*

92. SEMNONES.] *Rectè. etsi in Velleio lib. II. Semones scriptum legas, qui eos cum Hermunduris coniungit. In Dionis Fragmentis Electo LXXI. probissimè scriptum erat: Πεδε Σεμνονας ἑπιχρησῆσαι: de Antonini bello in Quados & Marcomannos. Item Electo XLIX. Μάστος ὁ Σεμνόνων βασιλεὺς. Latè errat * vir doctus, qui utrobique Nasamones substituit & edidit, Africa nimirum gentem. At isti Semnones ad Albim sunt: & manifestò illa Dionis spectant ad Germanica bella.*

D 93. AVGVRIIS PATRV M ET PRISCA FORMIDINE SACRAM.] *Legimus versus longus est (monuit me G. Falckenburgius) spontè effusus, an à veteri Poëta?*

94. PAUCITAS NOBILITAT.] *Ita Farnesianus. Vulgò erat, paucitas nobilitasque.*

95. IN COMMVNE HERTHV M.] *Libri alij, Nerthum, aut Verthum. ego veram vocem censeo, Aertum. Ita enim nostratem eam vocem efferimus scribimusque. Cum adspiratione, focum nobis signet non terram. Martianus Capella an huc aspexerit, dum Heroës ab Herâ derivat, id est terrâ, nescio. Verba eius lib. II. A mediæ aëris vsque in montium terræque confinia Hemitheï Heroësque versantur, qui ex eo*

quod Heram Terram veteres dixerunt, Heroës nuncupati. Nam aliàs certè à crasso errore eum non excuses.

96. COLONIA PASSIM SINE CVSTODE.] *Distingue, colonia. passim sine custode transeunt. Quod ait, sine custode: morem ingerit rarum & notabilem. Romani enim in limite imperij hoc seruabant, vt externum neminem admitterent exciperentve, nisi custode dato & arbitro actionum. Discis ex hoc loco, & lib. IV. Historiarum, vbi acris querela de hac re Germanorum, ad Vbios: Nam ad hunc diem flumina ac terras & quodammodò cælum ipsum clauserunt Romani, vt colloquia congressusque nostros arcerent: vel quod contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac propè nudi sub custodia & pretio coiremus. Et in responso Agrippinensium: Sint transitus incustoditi, sed diurni & inermes, fuit alioqui & alia Romanorum cautio in hac re, ne conuentus haberent suspecti populi, nisi certo loco, & numero: idè, coram aliquo Romano. Fragmentum Dionis LXXIII. Commodus pacem Marcomannis & Quadis dedit, sed cum lege, Ne sæpè aut pluribus locis conuentus haberent: Ἄλλ' ἀπαξ ἐν ἐκαστῷ ὑλῶν, καὶ ἐς τόπον ἓνα, ἑκατοντάρχῃ πῶς Ρωμαίων παρόντος: Sed semel in mense dumtaxat, & in vno certo loco, idè Centurione aliquo Romano præsentè.*

* Fulvius qui
Fragmenta
ea edidit.

- que patefecimus, non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur flumen incli- A
tum & notum olim: nunc tantum auditur. Iuxta Hermunduros ⁹⁷ Narisci, ac deinde
Cap. 42. Marcomani & Quadi agunt. Præcipua Marcomanorum gloria viresque, atque ipsa
Narisci.
Marcoman-
ni.
Quadi.
 eriam sedes pulsus olim Boiis virtute parta. Nec Narisci Quadiue degenerant. Ea que
 Germaniæ velut frons est, quatenus ⁹⁸ Danubio prætexitur. Marcomanis, Quadif-
 que usque ad nostram memoriam reges manserunt, ex gente ipsorum. nobile Marobodui
 & Tudri genus, iam & externos patiuntur. Sed vis & potentia regibus, ex auctori-
Cap. 43. tate Romanâ, raro armis nostris, sæpius pecuniâ iuuantur. Nec minus valent retrò
 Marsigni, ⁹⁹ Gothini, Osi, Buri: terga Marcomanorum, Quadorumque claudunt.
 è quibus Marsigni, & Buri sermone cultuque Suevos referunt. Gothinos Gallica,
Gothini.
 Olos Pannonica lingua coarguit non esse Germanos: & quod tributa patiuntur. par-
 tem tributorum Sarmatæ, partem Quadi vt alienigenis imponunt: Gothini, quò ma-
 gis pudeat, & ferrum effodiunt. omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum sal-
 tus & vertices montium iugumque infederunt. Dirimit enim scinditque Sueuiam con- B
 tinuum montium iugum, vltra quod plurimæ gentes agunt. ex quibus latissime patet
 Lygiorum nomen in plures ciuitates diffusum. Valentissimas nominatim sufficet,
Naharuales,
eorumque re-
ligio.
Alcis, Deus,
sive Dii.
 Arios, Helueconas, Manimos, Elyfios, Naharualos. Apud Naharualos antiquæ reli-
 gionis lucus ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu, sed deos interpretatione
 Romanâ Castorem Pollucemque memorant. Eius numinis nomen Alcis. nulla si-
 mulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium. vt fratres tamen, vt iuuenes ve-
Arij.
 nerantur. Ceterum Arii super vires, quibus enumeratos paullo antè populos antee-
 dunt, truces, insitæ feritati arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, tineta corpora,
 atras ad prælia noctes legunt: ipsaque formidine atque vmbra feralis exercitus terro-
 rem inferunt, nullo hostium sustinente nouum ac velut infernum aspectum. nam
Gothones.
 primi in omnibus præliis oculi vincuntur. Trans Lygios Gothones regnantur, ¹⁰⁰ paul-
 lo iam addictius quàm ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.
 Protinus deinde ab Oceano Rugij, & Lemouij: omniumque harum gentium insigne, C
 rotunda scuta, breues gladij, & erga reges obsequium. Suionum hinc ciuitates, ipso in
Cap. 44. Oceano, præter vitos armaque classibus valent. forma nauium eò differt, quod vtrim-
Suiones.
Naves eo-
rum.
 que prora paratam semper appulsui frontem agit: ¹⁰¹ nec velis ministrantur, nec re-
 mos in ordinem lateribus adiungunt. Solutum vt in quibusdam fluminum, & muta-
 bile vt res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos & opibus honos. eoque vnus
 imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi. nec arma vt apud
 ceteros Germanos in promiscuo, sed clausa sub custode & quidem seruo: quia subi-
 tos hostium incurfus prohibet Oceanus. otiosa porrò armatorum manus facile lasci-
 uiunt. enim verò neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem armis præ-
Cap. 45. ponere regia vtilitas est. Trans Suionas aliud mare, pigrum, ac propè immotum, quo
Mare extre-
rum.
 cingi cludique terrarum orbem hinc fides: quod extremus cadentis iam Solis fulgor
 in ortus edurat, adeò clarus, vt sidera hebetet. ¹⁰² Sonum insuper emergentis au-
 diri,

97. NARISCI.] Ita in Capitolini M. Antonino dicuntur: Ptolemaeo, βαρῆσαι.

98. DANUBIO PRÆTEXITUR.] Scriptus liber, peragitur. Male. Quidam, pergitur: nec id tam probe.

99. GOTHINI.] Gothuni semper Claudiano.

100. PAVLO IAM ADDICTIVS.] Bambergens. & Rom. adductius. etiam rectè. & dixi de eo verbo supra.

101. NEC VELIS MINISTRANTUR.] Melius, ministrant. Virgilianum est,
 ——— velisque ministrant.

102. SONVM INSVPER EMERGENTIS.] Malim, se mergentis. Nam hæc persuasio rudis & casca plebis fuit, Solem dum in Oceanum cadit, stridorem

edere non aliter quàm si ignitum ferrum condatur in D
 aquam. Posidonius apud Strabonem lib. III. λέγειν
 φησὶ Ποσειδάωνος τὰς πολλὰς, μετὰ δύνειν τὸ ἥλιον
 ἐν τῇ παρακειμένῃ μετὰ Ἰόσον Ὠκεανῶσις,
 ὡσανεὶ σίλοντος τὸ πελάγος καὶ σβέτιν αὐτὸ, διὰ τὸ
 ἐπιπέσειν εἰς τὸ βυθόν. Florus de Decimo Bruto in Hi-
 spaniis bellante: Non prius signa conuertit, quàm
 cadentem in maria Solem, obrutumque aquis
 ignem, non sine quodam sacrilegij metu & hor-
 rore deprehendit. Iuuenalis ab illo auro:

Audiet Herculeo stridentem gurgite Solem.
 Quid D. Hieronymus, nonne in eodem errore, aut ser-
 mone? In Eccles. cap. I. Sol ipse, postquam arden-
 tem rotam Oceano tinxerit, per incognitas nobis
 vias, ad locum vnde exierat regreditur.

A diri, formæque deorum, & radios capitis aspici persuasio adiicit. ¹⁰³ Illuc vsque (& fama vera) tantum natura. Ergo iam dextro Sueuici maris litore Æstorum gentes alluuntur: quibus ritus habitusque Sueuorum, lingua Britannicæ propior. Matrem deum venerantur. insigne superstitionis, formas aprorum gestant. Id pro armis ¹⁰⁴ omniumque tutelâ, securum deæ cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium vsus. Frumenta ceterosque fructus patientius quam pro solitâ Germanorum inertia laborant. Sed & mare scrutantur. ac soli omnium ¹⁰⁵ succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec quæ natura quæve ratio gignat, vt Barbaris, quæsitum compertumve. diu quæritam inter cetera eiectionamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen. ipsis in nullo vsu, rude legitur: informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intelligas: quia terrena quædam atque etiam volucra animalia plerumque interlucent, quæ implicata humore, mox durefciente materia, cluduntur. Fecundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, vbi thura balsamaque sudantur, ita Occidentis insulis terrisque inesse crediderim, quæ vicini Solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in aduersa litora exundant. Si naturam succini admoto igne tentes; in modum tedæ accenditur. alitque flammam pinguem & olentem: mox vt in picem resinamve lentescit. Suionibus Sitionum gentes continuantur. Cetera similes, vno differunt, quod femina dominatur: in tantum non modo à libertate, sed etiam à seruitute degenerant. hinc Sueuiæ finis. Peucinatorum, Venedorumque, & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis ascribam dubito: quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede, ac domiciliis, vt Germani agunt. sordes omnium ac torpor. procerum connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum scædantur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quidquid inter Peucinos Fennosque siluarum ac montium erigitur, latrociniiis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos figunt, & scuta gestant, & pedum vsu ac pernecitate gaudent. quæ omnia diuersa Sarmatis sunt, in plaustro equoque viuentibus. Fennis mira feritas, scæda paupertas. non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus. sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. Passim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam vt in aliquo ramorum nexu contegantur. huc redeunt iuuenes, hoc senum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare. Securi aduersus homines, securi aduersus deos, rem difficillimam assecuti sunt; vt illis ne voto quidem opus sit. Cetera iam fabulosa: Hellusios & Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere. quod ego vt incompertum, in medium relinquam.

Æsty.

Succini inuentio, & natura.

Sitiones.

Cap. 46.

Peucini, Venedi, Fenni.

Vita & paupertas.

Ex q; cā felicitas.

103. ILLUC VSQUE (ET FAMA VERA) TANTVM NATVRA.] *Aiunt corruptum locum, si quem alium in his libris. At ego silentio transieram, vt purum & liquentem. Et sanè est. Loquitur vt Physicus, sed illius cui: qui censabant Oceanum finem rerum, neque ultra Naturam (hanc inferam) esse. Auitus declamator: Ita est rerum Natura. post omnia Oceanus, post Oceanum nihil. Albutius Alexandrum Magnum compellans: Eundem fortuna victoriæ tuæ, quem Natura finem facit: de hoc ipso Oceano. Fabianus ad eundem, dissuadens tentare Oceanum: Sine potius rerum Naturam, quam Fortunam tuam deficere. Peto Albinouanus, Carmine, quo Germanicum reuocat ab Oceano:*

Dij reuocant, RERVMQVE vetant cognoscere FINEM.

Crassuli fuerunt, nec orbem hunc verè orbem esse satis sciuerunt. Facit, quod iam nunc de Sole in Oceanum lapsò dixit.

104. OMNIVMQVE TUTE LA.] *Fortasse melius, omni que tutelâ.*

105. SVCCINVM LEGVNT.] *Hic locus est, quem Cassiodorus indicatum voluit; lib. v. epist. ii. Hoc Succinum, quodam Cornelio scribente, legitur in interioribus insulis Oceani, ex arboris succo defluens, vnde & Succinum dicitur, paulatim Solis ardore coalescens. Sed itane contemptim ille de nostro, quodam Cornelio? non scripsit, sed quondam. Quod autem inscriptione eius epistole est, Hæstis Theodericus rex: è Tacito esset, Æstis, qui appellat Æstorum gentes, Succinum hoc legentes.*